



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LXXXIX. Professionis, contra quam frustra reclamare nititur
Religiosus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)



CONSLIUM LXXXIX.

In caula Religiosi Professi intra quinquennium volentis reclamare contra suam Professionem.

S U M M A R I U M.

1. *Facti species.*
2. *Religious reclamare possunt contra Professionem suam invalidam.*
3. *Requisita ad hanc reclamationem.*
4. *An post quinquennium reclamare liceat?*
5. *Dissentus habitualis non invalidat professionem religiosam.*
6. *Summus Pontifex potest dispensare in professione religiosa.*
7. *Resolvitur nec reclamationi, nec dispensationi in praesenti casu locum esse.*

FACTI SPECIES.

I.



Luit nunc annus quintus ab eo tempore, quo Menradus professionem religiousam emisit. Vexatur nunc vehementi melancholiâ, scrupulis, & carnis etiam temptationibus valde frequentibus, atque his turbatur ita, ut nec studiis applicare animum, neque aliud quid serii negotii queat agere. Despit ipsi solitudo, & ipse status religiousus, in quo perseverare ipsi, si non impossibile, tamen valde arduum ipsi videretur. Reclamare ergo intendit adversus Professionem, quam tamen emisit absolute, libere, & animo ad eam se obligandi, nullo impedimento obstante, quod ipsum ab ea edenda prohibueret, nisi quod sibi persuadeat, se eam non emissum fuisse, si difficultates has prævidisset. Proin

QUÆRITUR.

Utrum in hoc casu Menradus reclamare adversus suam Professionem possit, & sic editam nullitatis arguere?

2. *Certum est imd quod Professi, si Professionem suam invalidam credant, cujuscunque sint Ordinis religiousi, etiam mi-*

litaris, reclamare adversus eandem possint; hoc enim expresse concessit Trid. sess. 25. c. 19. de regular. ubi utitur terminis generalibus, & complectentibus quoscunque Religious, cum expressis verbis dicat, quicunque Regularis pratendat &c. estque ita declaratum à Cardd. apud Joann. Gallemart ibidem n. 1.

2. ut legitimè fiat hæc reclamatione, sequentes requiruntur conditiones. 1. ut ante reclamationem volens reclamare Habitum non deponat, vel etiam cum Habitu non discedat, sine licentia Superiorum, nisi justam causam Habitum deponendi habeat, quia v. g. aliter causam suam prosequi coram Superiori non permittitur, nisi Habitu dimisso fugiat; quia, ut notant

Navar. Commentar. 4. de Regular. n. ult. Azor p. 1. lib. 12. c. 4. in fin. Sanch. libr. 7. de matrim. D. 37. n. 3. Pirhing ad tit. de Regular.

S. Synodus intendit punire eos, qui temere, ac sponte dimitunt Habitum, quod ille non facit, qui ex iulta causa, & facultate per jus sibi concessâ, utitur. 2. ut causas nullitatis sua Professionis coram Superiori suo, & Ordinario deducat. Nomine Superioris intelligitur immediatus Prælatus regularis, qui Professionem ejus, qui reclamat, admisit, vel qui in locum illius successit; nomine Ordinarii autem venit Episcopus, in cuius Dioecesi Monasterium, in quo reclamans Professionem emisit, situm est, vel ejus Vicarius generalis. Requiritur autem, ut causa hæc deducatur coram utroque coniunctim, & copulativè, ut advertit Bar.

3.

Barbos. de Offic. Episc. alleg. 104. n.
12.

nam Tridentinum l. cit. utitur particulâ conjunctivâ Et, ibi, coram Superioris suo, & Ordinario. 3. ut reclamatio fiat intra quinquennium, à die Professionis editæ numerandum; nam post quinquennium hoc elapsum reclamare volens non amplius auditur, nisi impedimentum, ob quod invalida fuit Professio, adhuc duret; tunc enim, ut notat

P. Wiestner ad tit. de Regul. n. 92.

sive impedimentum hoc perpetuum, sive temporale, audiendus est, modò probare impedimentum istud possit.

4. 3. Quodsi tamen toto quinquennii tempore, obstante ignorantia nullitatis, vel alio justo impedimento, Professionem impugnare, & coram superiori deducere nequit, contrarias in hoc puncto sententias distinguendo componunt

Tambur. tom. 3. D. 6. q. 25. n. 9.

P. Wiestner l. cit. n. 92. Clariss.

P. Schmier p. 1. de person. Eccles. c. 3. n.

257.

ubi dicunt, si impedimentum sit perpetuum, reclamanti etiam post quinquennium audiendam denegandam non esse per supra dicta, & rationem, quia cum talis sit Professionis emitenda incapax, neque post quinquennium valida esse presumi potest. Si vero impedimentum sit temporale, tunc solum audiendum esse volunt post quinquennium, si impedimentum tale adhuc duret, ne, quod in favorem Religionis introductum est, in ejus, vel alterius præjudicium cedat: quod fieret, si laborantem ejusmodi impedimento, & consequenter certò non professum, denegata audientia, teneretur retinere. Secus est, si intra quinquennium cessaverit tale impedimentum; tunc enim reclamare volens contra Professionem, cum tali impedimento à se emissam, post quinquennium audiri non amplius debet, quando vult uti remedio ordinario, quippe cum ei obstat præsumptio ratificationis, interea factæ, quæ cum sit juris, & de jure, nullitatis probationem non admittit: locus tamen ex communis DD. sententia erit remedio extraordinario restitutio in integrum, non tantum, si taliter professus sit minor, sed etiam, si major, ex clausula generali, si qua alia mibi justa causa videbitur, ut dicitur

l. hujus l. §. verba l. in fin. ff. ex quib. caus. major.

atque ita suadet praxis; nam hodie illi, qui post quinquennium reclamare volunt, adire solent S. Congregationem Cardd. Trid. Interpp. vel eorum, qui Regulariū negotiis præpoliti sunt, & non raro restitutio in integrum obtinent.

5. In præsenti casu Menradus Professionem suam edidit absolute, & animo sincero obligandi se hujus vinculo, nec alligavit valo-

rem illius ulli conditioni: neque obstat, quod habitualiter forte ita fuerit dispositus, ut non emisisset Professionem, si prævidisset difficultates, in Facti specie memoratas; nec enim talis habitualis dissensus facit conditionatam Professionem per paritatem cum matrimonio, ubi in calu, quo sponsus, putans, sponsam suam esse divitem, morigeram &c. et si taliter dispositus sit, ut, si talis non esset, nullo modo cum illa contraheret matrimonium, tamen, non obstante hoc errore qualitatis, contrahit validè; quia talis dissensus habitualis ad invalidandum matrimonium nequaquam sufficit, cum adhuc consistere possit cum actuali consenso in personam, ut rectè monet

P. Ludovic. Engl ad tit. de sponsal. & matrim. §. 4. n. 4.

Pariter ergo, et si Menradus, dum Professionem suam emisit, habitualiter ita fuerit dispositus, ut, si prævidisset difficultates, quas postea expertus est, non fuisset emissus Professionem, hæc tamen habitualis dispositio non tollit actualem consensem, neque propterea vitiatur Professio. Manebit proinde Professio illius valida, cumque nullum aliud impedimentum allegetur, quod invalidet Professionem, reclamatio ni contra illam, et si ante quinquennium elapsum fiat, non erit locus, quippe quæ conceditur tantum ad deducendam causam nullitatis emissæ Professionis.

Proinde unicum remedium foret, si Menradus ob causas in Facti specie allegatas, à sacra Sede dispensationem peteret, quam Papa juxta ea, quæ cum communi docent

Suar. tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 16. & c.

17. n. 5. Sanch. de matrim. lib. 8. D. 8.

n. 7. Pirhing ad tit. de Regul. n. 144.

König ibid. n. 19.

concedere potest, soliendo vinculum, per Professionem inductum, ita, ut qui haec tamen fuit Religiosus, postea non amplius votis adstringatur, & saepius ita concessit prout videtur eis apud

Baronium ad annum Christi 1041. Suar. c. 17. cit. n. 6.

sed nunquam concessit, neque concedes sine iusta, & legitima causa. Requiritur autem gravissima necessitas, sive causa boni publici, nec sufficit bonum privatum ipsius professi, v. g. ut vitetur probabilissimum periculum voti transgrediendi, ut notat

Sanch. l. cit. n. 8.

& ratio est, quia talis dispensatio non potest fieri sine notabili detimento status Religiosi, cuius bono non debet præferri bonum alicuius privati.

Quare ad questionem propositam dicendum, in casu præsenti non esse locum reclamacioni adversus Professionem etiam intra quinquennium; quia non allegatur impedimentum aliquod annullans Professionem.

(Hhh hh 3)

6.

7.

ad

ad quam nullitatem deducendam permittitur reclamatio contra illam. Sed neque spes est dispensationis impetrandæ à Sede Apostolica; quia causa, ob quam peti posset, concernit tantum bonum privatum ipsius Religiosi, quæ causa per deducta ad dispensationem impetrandam non sufficit. Superest ergo, ut Menradus contra tentationes, occurrentes adversus vocationem, firmet animum, totóque corde se DEO consecret, ejusque servitio; sperandum enim

erit hoc modo suggerenda ip̄si, si præterea adhibeat alia remedia spiritualia, specialia de cœlo auxilia, ut sine hæsitatione deinceps, sublati, vel mitigatis difficultatibus, firmus manere possit in vocatione, quâ vocatus est, & per talenta, quibus abundatissimè à DEO provisus est, præstare plurima pro hujus gloria, securus de mercede, quam DEUS tribuit diligentibus se, totoque mentis connisu servientibus sibi.

CONSILIO XC.

In causa prætentæ præscriptionis contra jus Decimarum minorum,

S U M M A R I U M .

1. *Facti species.*
2. *Quo tempore præscribantur decimas ab Ecclesiis?*
3. *Præscriptio adversus Ecclesiam privilegiatam quo tempore fiat?*

4. 5. *Societas JESU gaudet privilegio centenaria præscriptionis.*
6. *Ecclesia Parochialis in præscriptione Decimarum non indiget titulo.*

post centum annos completos. His postis

F A C T I S P E C I E S .

I.



Ollegium Societatis JEIu emit decimas feudi vinculo obligatas cuidam Serenissimo Principi. Tam in litteris emptionis decimarum istarum, quam in instrumento renovationis investituræ super iisdem expressè dicitur, Collegio competere ex fundis ibi nominatis decimas tam maiores, quam minorres. Has omnes Collegium hactenus singularis annis cuidam rustico colligendas tradidit pro certa quantitate frumenti. Competit elapsso anno Collegium, quod multi, ex quorum agris decimæ Collegio competent, rustico emptori tantum maiores decimas, minores vero urbis Parocho hucusque solverint. Exhibitæ proin Parocho originales litteræ emptionis venditionis cum instrumentis investituræ decimarum, ostenſumque, etiam minores Decimas omnes Collegio deberi. Sed ut ut iste compabarit literarum istarum claram assertiōnem, à se tamen, & Antecessoribus suis ob elapsos jam annos sexaginta præscriptum contra Collegium esse contendit, nec favere eidem affirmat privilegium, quo Societas prætendit, contra ipsam, & ejus bona, ac jura in hoc calu præscribi non posse, nisi

QUÆRITUR

Utrum in præsenti Facti specie se Dominus Parochus tueri contra Collegium præscriptionis exceptione possit?

Rationem dubitandi facit non paucrum DD. assertio, qui cum Abb. in c. cùm sint 18. de decim. n. 6. in fin.

distinctionem faciunt, an Ecclesia, quæ præscribit jus decimandi, sit Parochialis, vel non. Si Parochialis non sit, requirunt tempus 40. annorum cum titulo, immemoriale sine titulo, si verò Parochialis sit, putant, sufficere decennium. Fundamentum istius sententiae est, quia, ut propugnatores istius sententiae existimant, in priori casu Ecclesia præscribenti resistit jus; in posteriori autem assistit, dum

c. cit & c. ad Apostolica 20. eod.

dicitur, eo casu sequendam esse consuetudinem diu obtentam; tempus autem decem annorum injure censetur longum, seu diuturnum, ergo &c. Est autem in casu præsenti Ecclesia, quæ contra Collegium præscripsisse se dicit decimas minorres, Ecclesia Parochialis. Proinde cùm ius ipsi assistat, sufficiet ad præscribendas ab ea Decimas mino-